Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 261
Quelle:
Copyright:

manu: *Magnus albertus ſuper Marcum. Imbripolim* a germ. *Regen*, *Regensburg*, *Ratisbonam* intellige, Ipſa frons ita enuntiat: *Incipit prologus in poſtillam alberti magni ſuper Marcum.* Quis Prologus? Conſulo Editionem *Lugd.* a. 1651. ab Ordine Praedicatorum XXI. *Tomis* f. redactore P. *Petro Jammy* curatam, et in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 171. recenſitam, *Poſtillam*que noſtram T. IX. absque omni Prologo reperio, licet is ceteris tribus Evangeliſtis non deſit. Non urgebo, tale conſilium ſuſcipientibus Codices *mſſ.* etiam extra *Galliam* quaerendos fuiſſe, illud mirari liceat, *Jammyum* nequidem de unica hujus *Poſtillae* Editione *Hagenoae in Henr. Gran Officina* 1505. f. inſpicienda ſolicitum fuiſſe. Inveniſſet in illa non unum, quin duos Prologos, quemadmodum in Codice noſtro. Primum enim praefatur *Albertus* ipſe hoc modo: *Ecce vicit leo de tribu iuda radix dauid aperire librum et ſoluere VII. ſignacula ejus. Tria notantur hic de chriſto. fortitudo, nobilitas, et illuminacio* &c. atque haec Praefatio ſesquitertiam columnam occupat; dein Prologum *Hieronymi* in *Marcum* exponit 9. columnis hoc initio: *Premittit autem ieronimus prologum in quo tangit tria principaliter. Cauſam videlicet ſuſcepti operis* &c. Et tum demum Codex noſter et Editio *Hagenoenſis* coincidunt cum *Jammyana* his verbis: *Inicium Euangelii &c. Sicut dictum eſt in prehabitis ſeptem ſigilla per leonem aperta* &c. Quae ipſa verba monere debuiſſent Editorem, Exemplar, e quo edebat, ἀκέφαλον eſſe, ac proinde aliud perfectius conquirendum. Ad calcem mei habetur: *Expliciunt notule ſuper marcum.* quae etiam Edit. *Hagenoenſis* clauſula eſt.

Codicis Thecam interne veſtiunt utrinque Membranae Sec. XIII. quae examinatae deprehenduntur pertinere ad *Friderici* II. Imp. Querimoniam adverſum *Gregorium* IX. Pont. ſive *Librum I. Epiſtolarum Petri de Vineis*, continentque extrema *Epiſtolae ad Regem Anglorum*, integram *ad Regem Franciae*, et initium *ad univerſos mundi Principes*, quae in *Querimonia Hagenoae per Joh. Secerium* 1529. 8. edita conſtituunt *Capita* 16. 18. 28. et in Edit. *Epiſtolar.* praedictarum *Ambergae* 1609. 8. L. I. *Epiſtolam* 16. 18. 28. Textus non paucis locis ab utraque hac Editione deflectit.

CLXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 147
Folior. 298. f. non una manu, bene tamen perſcriptus, rubricis diſtinctus, et quondam, ut praefert, teſtamento legatus *ad Collegium beate Marie virginis Domus rubee roſe apud fratres predicatores in wienna a M. Thoma de wuldersdarff* (Wullersdorf oppido infer. Auſtriae?) *arcium ac ſacre pagine doctore, apud ſanctum ſtephanum Canonico, prefatique collegij ſuperintendente* ſequentia continet: I. *Lecturam* ſcholaſticam in *Evangelium D. Marci*, hoc ingreſ-